



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Oratio. Pro illuminatione mentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

ORATIO.

Contra malas cogitationes.

3. **D**omine Deus meus, ne elongeris
a me: Deus meus in auxilium
meum respice, quoniam insurrexerunt
in me variæ cogitationes, & timores
magni affligentes animam meam.

Quomodo pertranfibo illæsus?
quomodo perfringam eas?

Ego, inquit, ante te ibo, & glo-
riosos terræ humiliabo. Aperiam
januas carceris, & arcana secreto-
rum revelabo tibi.

Fac Domine, ut loqueris: & fu-
giant a facie tua omnes iniquæ co-
gitationes.

Hæc spes, & unica consolatio
mea: ad te in omni tribulatione con-
fugere, tibi confidere, te ex intimo
cordis invocare, et patienter conso-
lationem suam expectare.

ORATIO.

Pro illuminatione mentis.

4. **C**larifica me Jesu bone, clari-
tate interni luminis; et educ
de

de habitaculo cordis mei tenebras
universas.

Cohibe evagationes malas, et eli-
de vim facientes tentationes.

Pugna fortiter pro me, et expu-
gna malas bestias, concupiscentias
dico illecebrosas: ut fiat pax in vir-
tute tua, et abundantia laudis tuae
resonet in aula sancta, hoc est, in
conscientia pura.

Impera ventis, et tempestatibus:
dic mari, *Quiesce*, et Aquiloni, *Ne
flaveris*, et erit tranquillitas magna.

5. Emitte lucem tuam, et verita-
tem; ut luceant super terram: quia
terra sum inanis, at vacua, donec
illumines me.

Effunde gratiam desuper, perfun-
de cor meum coelesti rore: ministra
devotionis aquas, ad irrigandam fa-
ciem terræ, ad producendum fru-
ctum bonum, et optimum.

Eleva mentem pressam mole pec-
catorum, et ad coelestia totum de-
siderium meum suspende: ut, gu-
stata

stata
pigea
6.

ni cr
tione
titum
& co
Jur
ctioni
suffici
sunt

De ev

I. Fi

Qu
sequer

Qu
talis v
vel lo

Tu
pro a
redder

stata suavitate supernæ felicitatis,
pigeat de terrenis cogitare.

6. Rape me, & eripe me ab omni
creaturarum indurabili consola-
tione: quia nulla res creata, appe-
titum meum valet plenarie quietare,
& consolari.

Junge me tibi inseparabili dile-
ctionis vinculo: quoniam tu solus
sufficis amanti, & absque te frivola
sunt universa.

CAPUT XXIV.

*De evitacione curiosæ inquisitionis su-
per alterius vita.*

1. **F**ili, noli esse curiosus, nec va-
cuas gere sollicitudines.

Quid hoc vel illud ad te? tu me
sequere.

Quid enim ad te, utrum ille sit
talis vel talis, aut iste sic & sic agit,
vel loquitur?

Tu enim non indiges respondere
pro aliis, sed pro teipso rationem
reddes. Quid ergo te implicas?

M

Ecce